DE SCIRRHO VENTRICULI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XVI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOAN. GUIL. ADOLP. SCHUPMANN

GESECKENSI GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

W. LICHTENNAUER, MED. CAND.

C. GEISLER, MED. CAND.

J. STRAETER, MED. CAND.

BEROLINI

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

PATRI

SUO OPTIMO

JOSEP. SCHUPMANN

GIVITATIS GESEKENSIS CONSILIARIO, AD CINERES

USQUE COLENDO

NEC NON

PATRUO

SUO AMANTISSIMO

F. W. SCHUPMANN

GYMNASII RIETBERGENSIS DIRECTORI, AD MORTEM

USQUE VENERANDO

HASCE

LITTERARUM SUARUM PRAEMITIAS

DICAT ET CONSECRAT

AUCTOR.

Prooemium.

Cum Virceburgi in clinico versarer celeberrimo Iuliano, saepius ventriculi scirrhum observavi; morbum illum atrocissimum, qui a principio tam facile medicum fallit, in extremis vero stadiis, semper insanabilis est, morteque semper finitur. Tunc temporis hoc malum describere, eiusque curationem exponere, subiit; praesertim cum director clinici, cel. Dom. Ionas Schoenlein tam egregie de scirrho ageret; cuius potissimum descriptionem sum secutus. Usus sum praeterea et iis, quae alii medici celeberrimi de hoc morbo litteris mandarunt; maxime Morgagni opere, de sedibus et causis morborum; Petri Franckii, de curandis hominum morbis epitome; Richteri, Therapia; Meckelii, pathologiae anato-

micae enchiridio; Philippi libro, de indigestione eiusque effectis; Arnemanni libro, de materia medica; Vogtii, de Pharmacodynamice; Vogtelii, systemate materiae medicae practicae: aliisque scriptis, tam therapeuticis, quam pathologicis.

Opusculum meum mancum valde et imperfectum esse, nemo me magis sibi persuasum habere potest; qualecunque autem sit, lectorem candidum oro, rogoque, ut illud poëtae in mente habeat:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

§. 1.

Morbus describendus variis sub nominibus in scriptis therapeuticis et pathologicis venit. Nominatur enim, vel induratio, scirrhus; vel callus (callositas); vel steatoma, vel carcinoma ventriculi; (quae nominnm differentia haud dubie a stadiorum diversa natura orta est, in quibus inveniebatur scirrhosus ventriculus). Equidem nomine usus sum maxime vulgari, scirrhi ventriculi. An autem revera hic morbus ad illud pertineat morborum genus, quod vocatur scirrhosum, non audeo hic discutere, quia scirrhi indoles ac natura etiamnum, omnibus est plane occulta medicis. Analogiam quandam habet cum scirrhoso processu hicce morbus noster; ast et analogiam habet cum morborum generibus aliis, praesertim maiorem, cum genere illo, quod vocatur tuberculosum; hac ex causa et clar. Schoenlein morbum hunc, ad illud genus esse referendum, putat. Quid ad nos

haecce omnia? Experientia primum plurimum hac in re docebit. Equidem describam morbum; adducam illius symptomata, quaedam de genesi eius loquar, denique therapiam eius exponam.

§.2.

Indoles morbi, quoad symtomata est, quod aegroti alimenta sumta aut longo aut brevi tempore post deglutitionem, magis minusve mutata, evomunt.

Indoles autem anatomica, quod tunicae ventriculi, uno alterove in loco sint crassiores, induratae, aut exulceratae: ostiaque eius, nempe, aut ostium cardiacum, aut pyloricum, penitus clausa, obliterata; vel lumen eorum magis, minusve diminutum. (Haecce semper in morbo nostro inveniuntur, ideoque vim et notionem eius constituunt).

§.3.

Duae autem morbi distingui possunt species, quoad sedem:

1.) Shirrhus cardiae;

2.) Scirrhus pylori.

In duobus hisce locis tantum, morbus obvenit; in aliis ventriculi regionibus non invenitur. (Hic ergo est, uti in pulmonibus; in his enim tuberculosa formatio tantum videtur superioribus

in partibus, quae sitae sunt, sub clavicula et costis superioribus.) Altera morbi species frequentius observatur; ita vero, ut inter decem aut plures casus scirrhi ventriculi, unicus tantum videatur scirrhus cardiae, ceterique ad secundam speciem pertineant. His generalioribus praemissis ad specierum ambarum descriptionem progrediar.

§. 4.

A. Scirrhus cardiae.

Stadia diversa hac in specie distingui non possunt. Aegroti dolorem prementem, urentem in scrobiculo cordis sentiunt, ubi situm est ostium oesophageum (cardia ventriculi). Dolor primum est periodicus, praesertim in ciborum duriorum deglutitione, in qua et augetur; adest cephalaea gastrica maxima; lingua pura, appetitus ciborum nullus; tum iam interdum vomitus ciborum, praesertim duriorum, paulo post deglutitionem accedit; dolor de die in diem crescit, fit fixus, permanens, magisque urens, remittensque adhuc est; omnes cibi duriores nunc regurgitantur; fluida ast adhuc transire possunt; aegroti abstaculum, impedimentum sentiunt in cardiaca ventriculi regione, non superandum; manus indagans hic invenit indurationem, maioris aut minoris ambitus, formae maxime ovatae; dolores, pressione

facta in indurationis loco, augentur; si specilli ope indagatur oesophagus, induratus sentitur locus, saepeque haud amplius eo usque in cavum ventriculi penetrare, licet. Tum omnia et blandissima, paene fluida evomuntur alimenta, et aegotus inanitione necessarie moritur. Sin autem nunc exulceratio partis prius induratae evenit, cibis datur rursus, praecipue alimentis magis fluidis, transitus; ast vomitus frequens adhuc est, doloresque summum attingentes gradum, sunt corrodentes, quasique depascentes; quaeque vomitu reiecta sunt, male, pessime saepe olent; sunt sanie, ichore, aut sanguine interdum dissoluto mixta, putridumque exitant aegroto saporem. Si tunc specillo exploramus, ulcus praesens sentitur, inque specilli acumine ichor apparet sanguine venoso tinctus. Corporis emaciatio, quae iam prioribus inceperat morbi temporibus, maximum ascendit gradum; secretiones et excretiones omnes sunt alienatae, retardatae, diminutae; alvus, prius tantum pigra, prorsus est obstructa; rarissime diarrhoea mucosa extremo morbi tempore interrumpitur; alvi excrementa dura admodum, in carbonem quasi conversa; cutis sicca, frigida; chloroticum, praesertim in facie praestat colorem; febris tandem apparet hectica, interdum hydrops ascites, tandemque mors miserrimam aegroti finit vitam.

§. 5.

Diagnosis. 1. Confundi posset morbi haecce species cum vomitu vulgari, aut cum vomitu cruento, ultimis praecipue morbi temporibus; haec autem confusio haud facile fieri potest, si causae spectantur morbi propriae, decursus ipse morbi; aetas, sexus aegroti.

2. Disphagia, cardiae scirrhi speciem prae se ferre potest; praesertim, species illa, quae ex scirrhosa oritur oesophagi destructione. Sin autem sedes indurationis, morbi talis, altior est in oesophago, medicum vix fallit. At si inferiore, aut infima in parte oesophagi habet induratio locum, tum confusio facillime fieri potest. Indagatio accuratissima oesophagi; cautissima, manu externe, aut pecillo oesophageo interne facta, hic diagnosin perfectam, certissimamque exhibere potest. Morbi si spectatur processus, praesertim tempus vomitus, diagnosis semper certissima erit.

3. Cum altera scirrhi ventriculi specie confundi posset scirrhus cardiae; ast hic diagnosin iuvant, tempus, quo vomitus apparet; in cardiae nempe scirrho, mox post deglutitionem vomitus sequitur; in destructione autem pylori scirrhosa, pluribus horis post assumtos cibos primum evenit; porro et manus sola diagnosin certissimam reddit.

4. Neurosis vagi distinctior est in suis symptomatibus a morbo nostro, quam ut commutatio cum ea fieri posset; praesertim ob defectum vomitus, ob periodicum ordinem ac reliqua symptomata, neurosibus solis propria. In extremis autem morbi stadiis omnis in diagnosi error cogitari non potest.

§. 6.

a. Causae morbi praedisponentes sunt:

1. Sexus masculinus; in foeminis non observatur morbus.

2. Aetatis certa periodus; nempe a quadragesimo usque ad sexuagesimum annum.

3. Et esse videtur temperamentum sic dictum cholericum, melancholicum huius morbi causa praedisponens.

b. Causae remotae, externae, hae enumerantur:

1. Abusus spirituosorum, consuetudinaria eorum assumtio; praesertim viliorum, nec non eorum, quae vocant liquores.

2. Rheumatica affectio de cute ad ventriculum repercussa, frequens huius morbi est causa.

3. Metastases de cute scabiosae, psoricae, herpeticae; nec minus arthritis, haemorrhoides, syphilis rarissime. Haec de morbi causis nota.

§. 7.

Exitus morbi tantum duo sunt observati; nempe morbus aut finitur perfecta sanitate; (hoc tantum fieri potest primis morbi temporibus, principio tantum eius) per remotionem causarum, per sublationem abusus spirituosorum etc.; aut mors sequitur, qui exitus frequentissimus; mors autem, aut per famem adducitur; aut per exulcerationem, febremque hecticam.

§. 8.

Prognosis semper pessima est ponenda; haec autem apud eam constituendam sunt observanda:

1. Tempus, per quod morbus iam perstitit; si adhuc in primis est principiis, prognosis melior poni debet; si iam sanguis aut massae caseosae cum cibis evomuntur, hoc indicat, adesse iam extremum morbi stadium, et prognosis semper est lethalis.

2. Gradus vomitus, frequentia eius; molestia maior aut minor in deglutitione; dolorum acerbitas, in ponendam prognosin semper vim habere debent.

3. Emaciationis gradus, debilitationis virium, nequaquam hic praeteriri debet.

4. Si adest iam febris hectica, hydrops ascites, mors in propinquo est.

§. 9.

Sectiones haec docuere: Omnes tunicae in regione ventriculi cardiaca sunt incrassatae, praesertim autem tunica peritonealis. Sedes autem ipsa morbi est in strato illo telae cellulosae, quod situm est tunicam inter muscularem, intimamque ventriculi mucosam. Stratum hoc est degeneratum, auctum, et in massam caseosam conversum; quae massa aut invenitur in stadio indurationis, sicque quasi lipomatosa, cartilagineosa est, totumque per suam extensionem non raro cardiae lumen claudit, vel tantum angustiorem eam reddit; aut iam diffluxit massa haecce, emollita, tunicam intimam mucosam iam destruxit; haec rupta est, et nunc invenitur in regione cardiaca ulcus, magnam analogiam cum ulcere referens carcinomatoso; cum variis excrescentiis venosis, cum fundo implano, inpuro, facillimeque sanguinem venosum, dissolutum, effundente.

§. 10.

Therapia. Indicatio causalis duplex et:

1. Ubi adest rheumatica causa, ex suppressa cutis exhalatione orta, aegrotus cutem calidam servare debet per vestes idoneas, et se nullis coeli

mutationibus, minime autem frigori et pluviae committere debet.

Consuetudo bibendi spirituosa extemplo ommittenda est ex toto; cum autem tales potatores consuetudinarii stimulum semper habere debeant linguae, illis optime datur extractum quassiae cum liquore kali subcarbonici, quod et in nervos agit ventriculi irritatos, eorumque irritationem specifice tollit. Ad restituendam cutis exhalationem, adhibeantur balnea irritantia, cum calce viva, kali caustico, herba sabinae. Ad derivandum a ventriculo, applicetur unguentnm Authenrithii (ungu. stibiat.) in scrobiculo cordis, usque dum pustulae specificae hic appareant.

Praesentibus adhuc symptomatibus inflammatoriis ventriculi; dolor premens, urens; applicentur in regione cardiaca hirudines, nec non unguentum infricetur cinereum cum oleo, aut herba hyosciami, cicutae. Irritatio ventriculi optime tollitur per cicutam, herbam belladonnae cum aliquot granis calomelanis; belladonna autem optime datur in forma infusi, cum liquore kali subcarbonici. Irritatione nervosa ventricuii tali modo sublata, dentur amaricantia, quassia, absinthium, gentiana. Sin autem morbus iam in ultimis suis est stadiis, omnia frustra tentantur; nutritio aegroti tantum medici ultimum esse potest refugium; per gelatinosa, per iuscula carnea

cum vitello ovorum; deglutitione autem penitus sublata, dentur clysmata et balnea nutrientia. Pertinacior alvi obstructio clysmatibus est solvenda; omnia autem incassum.

§. 11.

B. Scirrhus Pylori

In evolutione et decursu huiusce speciei optime tria distinguuntur stadia; quae sunt:

1. Stadium nervosum; sic nominatum, quia omnia symptomata obvenientia, irritationem indicant nervorum ventriculi, praesertim eorum, qui de vago veniunt. Aegroti primum quasi cardialgicum habent dolorem, dolorem prementem, sumtis alimentis auctum, praecipue autem alimentis duriusculis; dolor modo evanescit, modo redit maiore vi; in ventriculo multum gignitur aëris quasi putridi, qui ructationibus multis evacuatur, premens in ventriculo sensatio fit perpetua, fixa; dolor in regione consistit pylorica; mane evacuatur ructatione, vomituritione, anxietate et labore cum magno, tussi perdifficili, multum muci aquosi (haec sic dicta tussis est gastrica potatorum; non prius desinens, nisi sumantur spirituosa solitaria). Processus chemicus ventriculi alienatur; anomaliae sequuntur in secretionibus excretionibusque tractus intestinalis; alvus est pigra, per

tres quatuorve dies saepe clausa; accedit iam inappetentia ciborum, quamquam lingua purissima; emaciatio incipit minore in gradu corporis, omniaque non raro symptomata, paene ex toto desinunt; maiore autem vi redeunt, ac periodus haec vario tempore absolvitur.

2. Stadinm inflammationis chronicae. Dolor premens perpetuo urget, magisque in regione pylorica concentratur, fitque urens, primum remittens, demum in eodem semper persistens vigore; aër, mucus et aqua non amplius ructibus et vomituritionibus evacuantur; aegroti alimenta iam digesta, ergo tribus, quatuorve horis post assumtos cibos praeterlapsis, ergo tunc temporis, cum alimenta e ventriculo in duodenum transire deberent, evomunt; pyrosi semper laborant aegroti, quaeqne vomitu reiecta sunt, acidum saporem et odorem referunt, (quae omnia alienatam indicant ventriculi chemiam.) Alvus pigerrima, pluribus diebus clausa; magno tantum cum labore excrementa durissima, combusta, quasi in carbonem versa, reiiciuntur; rarissime autem diarrhoea intercedit mucosa. Appententia ciborum prorsus iacet, etsi lingua purissima rubraque sit, quae rubedo ad fauces usque persaepe penetrat. Corporis emaciatio de die in diem angescit, aeger melancholia laborare incipit; physiognomia eius quasi mutatur; cutis est sicca, dura admodum

frigida, sine omne secretione, chlorotico icteroidem praestans colorem; vires debilitantur, pulsus debilis est et parvus, stadiumque hocce usque ad annos duos durare potest.

3. Stadium organicae destructionis. Dolor urens maior fit, permanens, et fixus; regio si indagatur pylorica, adtractis abdomini femoribus, situque supino, exquisita sentitur in pyloro induratio, minoris aut maioris extensionis; alimenta nunc evomuntur omnia, praesertim si totum est per indurationem pylori lumen clausum. Demum exulceratio incipit partis induratae, doloresque summum nunc attigant gradum, necesse est; dolores fiunt dilacerantes, corrodentesque, magnopere sumtis alimentis durioribus aut acribus, aut si premitur regio pylorica, adaugentur. Alimenta nunc maximis evomuntur dicto tempore anxietatibus, laboribusque, fronsque tali in periodo sudore est obducta frigido; massae reiectae pessime olent, alimentaque digesta, massa ichorosa, aut massis caseosis albidis; aut massa fuligine quasi tincta sunt mixta; nec non sanguinem saepe in se habent venosum; aegrotoque saporem et odorem, putrescentis carnis analogum faciunt, et tum non amplius esse potest dubium, quin vera adsit pylori exulceratio. Alvi obstructio in diarrhoeam abit non tollendam, rarissime autem lienteria apparet; febris accedit hectica, exulcerationis

internae symptoma; corpus maxima confectum macie, fit quasi sceletum vivum, viriumque exsolutio summum adscendit gradum; cutis admodum dura, sicca; urinae secretio maxime diminuta; accedit tandem oedema pedum, hydrops organicus ascites, tandemque mors miserrima sequitur. Stadium hocce rarissime ultra annum durare potest.

§. 12.

Diagnosis. Morbi commutatio fieri potest:

1. Cum cardialgia; ab hac autem sequentibus differt: cardialgia paene semper in foeminis obvenit; rarissime in viris observatur; dolor in cardialgia est admodum durus, atrox, scrobiculusque cordis est retractus, et dolores in altum tendunt, secundum vagi decursum; ad haec cardialgia morbus est mere nervosus, omniaque symptomata eius nervosum habent semper characterem.

2. Pyrosis facillime a scirrho distinguitur, praesertim, quod paene semper arthriticum aut haemorrhoidalem hac in aetate habeat causam; demum et iuvant diagnosin omnia symptomata dicta morbi; in stadiis diversis.

3. Hepatitis chronica facilius pro pylori scirrho sumi posset; attamen diagnosin hic rectam facere debent: sedes morbi, dolorum et in-

durationis; ad ultimum icterus in hepatitide chronica semper apparens.

4. Scirrhus pancreatis non commutari potest cum scirrho pylori; sedes illius enim, ergo et dolorum, et indurationis, profundior est, magis in dorsali regione sub ventriculo, versus vertebras pectoris.

5. Cum cardiae scirrho paene omnino impossibilis est scirrhi pylori commutatio.

§. 13.

Causae morbi paene eaedem sunt cum scirrho cardiae causis; nempe:

a) Praedisponentes; quae sunt:

1. Sexus masculinus; etsi morbus rarissime in foeminis observatur in periodo illa, quae est a septuagesimo usque ad octuagesimum annum.

2. Aetas certa, quae incipit, a quadragesimo anno, duratque usque ad sexuagesinum.

3. Temperamentum cholericum.

Quod in septentrionalibus regionibus morbi haecce species, uti et prior, frequentius obveniat, in meridionalibus regionibus autem rarius observetur, causam non habet suam in proprietatibus aëris, climatis etc.; sed in abusu spiritus frumenti in septentrionalibus regionibus admodum frequente.

b) Causae proximae numerantur:

1. Permanens irritatio ventriculi aut intrinsecus, aut extrinsecus agens; primum fit per abusum spirituosorum, liquorum; prae aliis autem, spiritus fumenti vilioris, empyreumatici, quod vocant germanice (Fusel) et quod nunc temporis praecipue e tuberibus destillatur solani tuberosi; (hoc et causa esse videtur frequentius nunc obvenientis delirii trementis.) Secundum autem fit, per vestes angustiores, ventriculum prementes, aut per alia corpora, praecipue solida, uti fit apud textores et sutores. (Apud textores bis vidi hunc morbum.)

2. Per alimenta admodum solida, dura, difficilius digerenda; prae aliis omnibus praesertim, per cibos e farina tritici sativi, secalis cerealis, polygoni fagopyri granis praeparatos; nec non per alimenta e tuberibus praeparata solani tuberosi, praesertim, si talia quotidie sumantur, uti apud ruricolas et pauperos fit homines', morbus exoritur.

3. Congestiones habituales ad ventriculum sanguineae, quae habent acidulam qualitatem; ergo prae aliis omnibus, congestiones e causa haemorrhoidali, arthritica; et metastasis urinaria ad vertriculum, scirrhum pylori producere posse videtur.

4. Metastases a cute ad ventriculum; primum hic occupat locum rheumatica metastasis; nec non chronica exanthemata a cute repercussa, uti scabies, praecipue forma huius, quam vocant scabiem exulceratam; uti hepes, nec non et arthritis, et syphilis quibusdam in casibus.

§. 14.

Evolutio et genesis huius morbi speciei, nec non et primae speciei sequens mihi esse videtur:

Primum principium moıbi efficit mera irritatio nervorum ventriculi, praecipue eorum ramorum, qui a vago ad ventriculum penetrant, hicque desinunt sub nomine, plexus gastrici auterioris et posterioris. Perficitur autem haec irritatio nervosa causis iamiam dictis, inter quas primarium obtinet locum, consuetudinaria spirituosorum assumtio maioribus in quantitatibus. Stadium primum sequitur secundum inflammatorium, quia per nervosam irritationem constantem, et ponitur affluxus maioris quntitatis sanguinis ad ventriculum, secundum illud: (ubi irritatio ibi et affluxus humorum.) et id eo magis, quia individua in ea versantur aetate, in qua sanguinis tendit massa, praecipue venosi, ad abdominis organa. Ita et metastases fieri debent ad ventriculum per dictas causas iam irritatum; ergo potissimum

metastases e causa haemorrhoidali et arthritica; rheumaticae praecipue prae aliis omnibus (ob sympathiam, quae est cutem inter externam communem, et internam mucosam; praesertim hac in aetate, inter cutem externam, et cutem mucosam tractus intestinalis, cuius centrum est ventriculus.) Tali modo ponitur in ventriculo inflammatio, et quidem chronica, tam facile in exsudationem lymphae coagulabilis, in indurationem abiens. Talis autem semper induratio irritare debet partes, inter quas est sita; revenit ergo inflammatio; induratum emollescit, diffluit, rumpitur tandem membrana interna mucosa, talique modo ulcus fieri debet insanabile; febris tum apparet hectica, non raro putridum accipiens characterem, aegrotusque necessarie moriri debet. His praemissis non esse potest difficille explicatu, quomodo symptomata illa omnia in decursu morbi exoriri possunt; uti vomitus difficillis, caseosus, ichorosus, cruentus; non esse potest difficile explicatu, cur exoriatur anomalia in ventriculi chymico processu; quomodo exoriatur pyrosis; emaciatio corporis; mumificatio quasi eius; virium admodum magna debilitas, alvi admodum durae excretiones, excreta; cutis siccitas, durities; tandem, quomodo eveniant febris hectica, hydrops ascites, odema pedum etc. His praemissis et facillime explicatur, cur tam frequens sit morbus inter agricolas et inter labo-

rantem hominum classem. Agricolae enim omnibus sese exponere debent coeli mutationibus, frigori, pluivae, calori; semper paene versantur in campis, in hisque omnibus dictis sunt expositi. Ad hoc accedit, quod in laboribus suis spiritu frumenti frequentius utantur, et ex hac causa iis fit consuetudo spirituosa bibendi, maioribus in quantitatibus; ad haec et illis fruuntur cibis, supra adductis vilioribus, durioribus, farinaceis, ideo apud eos plura morbi momenta conveniunt causalia, combinanturque invicem. Denique medicus ab illis rarissime consultatur, etsi aegri sint; principium morbi huius atrocissimi, (quod iam per se leve) nullius iis esse videtur momenti, ventriculus tantum est debilitatus, (uti agunt), ventriculus, a quo omnes illi deducunt morbos. Confugiunt nunc, (uti semper) ad remedia sua propria domestica, inter qnae vinum adustum medium primarium, quasi universale iis est; quod et in omnibus morbis bonum et efficax esse putant. Bibunt hac ex causa non tantum maiorem quantitatem mortiferi illius fluidi, sed et cum aliis combinant; praecipue aromaticis, acribus; cum granis piperis albi, nigri, hispanici, cum summitatibus absinthii, millefolii. Talibus autem omnibus necessarie crescit morbi atrocitas, inflammatio adducitur, adaugetur, usque demum morbus in id transeat stadium, in quo medicus

amplius iuvare non potest. Hac ex causa et elucet, cur morbus in plurimis casibus morte finiatur, cuius rei et rarissima non est causa, quod coosuetudo bibendi spirituosa tam difficulter sit tollenda; quod autem ad sanationem morbi necessarie requiritur.

§. 15.

Exitus morbi sequentes sunt observati:

1. Sanatio perfecta, quae tantum possibilis in stadio est primo; quia autem morbus est chronicus, crises non abservantur; symptomata morbi pedentetim evanescunt.

2. Morbus in alium transit morbum, nempe haematemesin. Hic transitus autem fieri tantum potest in primo et secundo morbi stadio, et illis tantum in casibus, in quibus morbus e metastasibus ad ventriculum sanguineis exoriebatur.

3. Mors (qui exitus frequentissimus) aut per inanitionem, virium debilitatem, aut per febrem hecticam, in ultimo stadio persaepe torpidum, putridum accipientem charaeterem, sequitur.

§. 16.

Prognosis pessima semper; attamen in ea ponenda medicum ducere debent:

1. Aetas aegroti; quo maiore ille est aetate, eo peior necessarie poni debet prognosis.

2. Stadium morbi; in primo tantum morbus sanatur; in secundo sanatio semper admodum problematica; in tertio demum omnia incassum, et prognosis semper lethalis poni debet.

3. Removendi causas externas copia; ergo res individui aegrotantis hic praecipue spectandae sunt.

4. Causae ipsae; si adest causa rheumatica, arthritica; prognosis semper dubia.

§. 17.

Sectiones sequentia docuere notatu digna: omnes membranae in pyloro sunt crassiores; saepe quater, quinquiesve normalem superant diamerum; hic invenitur aut induratio, aut facta exulceratio, praesensque ulcus in pyloro. Si adhuc adest induratio, massa invenitur indurata tunicam inter intimam et muscularem ventriculi, pylori; massa aut cartilaginosa, albida, hpmogenea; aut massa lipomatosa, saepe magnam habens duritiem. Non raro variis quasi trabibus inter fibras musculares disrepit usque ad ventriculi extimam tunicam serosam; quae tunica maiorem tunc habet omnium tunicarum crassitiem. Tunica intima vero ventriculi in loco indurationis rubedinem

habet inflammatoriam, multaque vasa, sanguine repleta eam perrepunt. Aut invenitur hic massa in cellulis membranae cellulosae sita, quae iam vel est emollita, fluxa, sicque praestat tuberculosam excavationem; aut adhuc in indurationis stadio invenitur. Rarissime in foeminis invenitur decrepitis, hoc morbo defunctis, formatio glandulosa, analogon glandulae pancreaticae, (qua ex causa et a Franco-Gallis formatio, tela nominatur pancreati similis.) Haec autem in exterioribus suis partibus tantum est quasi glandulosa; in corpore suo vero intimo nihil, nisi massa perfecta tuberculosa, persaepe varias habens excavationes, vomicas, ichore pessime olente repletas; aliae adhuc eius partes induratae inveniuntur. Adhuc multo rarius invenitur massa cerebro similis, massa medullaris, sicuti et est in fungo medullari; rarissime autem videtur formatio correspondens telae, quam habet glaudula thyreoidea. Tali modo pylorus ergo est aut omnino clausus, aut lumen eius quam minimum. Si autem iam adest ulceris formatio, si iam membrana intima mucosa disrupta, tunc ulcus observatur, semper sedem in pylori cavo habens. Tale ulcus rarissime in duodenum transit, aut in ventriculi adsitas partes longe se extendit; ulcus carcinomatosum esse videtur, eminentibus, reclinatis quasi marginibus, marginibus denticulatis, corrosis; fundus eius inaequalis, profundus, varias habet

excrescentias, (uti est in fungo haemathoide), multis venosis vasis, facillime sanguinem venosum, nigrum effundentibus, praeditas; ulcus autem in se habet ichorem, pessime olentem, venosoque sanguine tinctum. Semper, (uti iam supra dictum), degenerationis et ulceris sedes est in parte pylorica, rarissime ad alias se extendit partes adsitas; duo autem Virceburgi vidi praeparata, in quibus colon transversum in parte ad pylorum sita, erat perforatum; nec non et ventriculus ipse in pyloro; sic transitus esset impeditus, ventriculi inter cavum colique transversi; sicque contenta ventriculi impedite, immediate in colon transversum transire poterant; lienteria tali modo necessarie sequi debuit. Fistula autem haec dicta per ulcus in pyloro, scirrho ventriculi exortum, formata erat.
Et dantur ibidem praeparata, in quibus in scirrho ventriculi pylorico, altera ventriculi pars tota ita extensa, ut extensionem suam normalem quadruplo paene superet. Per talem extensionem omnes membranae ventriculi sunt extenuatae, praecipue in sacco coeco; hic in gelatinam sunt emollitae, uti est in gastromalatia infantum; notatu dignissima certe pathologis res.

§. 18.

Therapia morbi. 1. Indicatio causalis postulat, ut causae morbi adhuc praesentes

removeantur; ergo non amplius aegrotus bibat spiritum frumenti, aut alia spirituosa; nec minus aliis fruatur alimentis mollioribus, faciliusque concoquendis. Haec indicatio rarissime expleri potest, ob circumstantias praesentes, quia plurimis in casibus morbus inter pauperos invenitur, interque laborantem hominum classem. Morbo ex causa rheumatica exorto, suppressa nempe cutis exhalatione, balnea adhibeantur, iam supra nominata irritantia, aegrotusque non amplius sese coeli mutationibus exponat; prae aliis autem omnibus frigus et pluviam evitet; haec indicatio rursus paene impossibilis est exsequenda, ob res aegrotantium. Si fluxus haemorrhoidalis suppressus morbi est causa, tunc hic restituendus per remedia idonea, in rectum specifice agentia, uti sunt: aloe succotrina; sulphuris flores; prae ceteris autem omnibus hic primum locum occupant clysmata irritantia, per quae medicamenta cum recto ipso in contactum veniunt. Urinae suppressa secretio, si haec morbi est causa, dentur diuretica, herba digitalis purpureae, squilla maritima, cantharides, therebinthina.

2. Indicatio morbi ipsius.

a) In primo stadio tollatur irritatio nervorum ventriculi; exhibeantur ergo ganglia narcotica, inter quae belladonna primum obtinet iure optimo locum; haecce quasi specifise agit; (prae-

sertim hic autem est indicata, quia alvum non obstruit.) Detur infusum herbae belladonnae cum kali carbonici liquore; aut aqua laurocerasi, aut acidum hydrocyanicum exhiberi potest. Ut autem derivetur ad tractus intestinalis inferiores partes, et alvi secretio pigra solvetur, detur oleum ricini aut rheum cum aloes extracto, nec non clymata applicentur vulgaria. Inunctiones fiant in regione ventriculi pylorica ex unguento hydrargiri cinereo; addito aut oleo aut herba hyosciami, cicutae, belladonnae; unguentum stibiatum et inungui potest uti revulsivum. Diaeta ad tollendum morbum sit idonea; sumantur alimenta, quam facilime digerenda, plus fluida, parvis tantum in quantitatibus; aliementa animalia, iuscula carnea, etc. Potiones acidae nequaquam sint naturae; levis et bene parata detur cerevisia, aqua mineralis, gas carbonicum continens (ob paralyticam quasi vim, quam habet gas illud in nervos ventriculi) uti videmus in vomituritionibus tollendis, sumta Riveri potione aut pulvere aeorophoro Vogleri; haec compositiones quam optime et in hoc stadio distribuuntur.

6. In stadio inflammatorio, inflammatio ventriculi est tollenda per antiphlogosin topicam; hirudines applicentur in regione pylori quoties dolor supra dictus urens revenit; fieri debent inunctiones cum unguento cinereo; interne

detur infusum belladonnae aut acidum hydrocyanicum, parvis tantum in dosibus. Alvi tarditas, aut obstructio eius totalis per clysmata tallatur, quibus saepe addi debet sal netrale quoddam; optime magnesia sulphurica, tartarus natronatus, natron sulphuricum. Praesente pyrosi, saepe exquisitissima, dentur kalia, acidum in ventriculo formatum resorbentia; liquor kali carbonici, magnesia usta, conchae praeparatae, oculi cancrorum, aqua calcis. Alimenta sint admodum blanda, fluida; quia duriora, consistentiora mox evomuntur; diaeta institui potest lactea, iuscula sumantur carnea. Inflammatione tali modo sublata, morboque retrogradiente, dentur in reconvalescentiae stadio amara; extractum taraxaci, absinthii, gentianae, quassiae, fel tauri, additis aromaticis, radice zingiberis, zedoariae. Pedentetim sic ad alimenta consistentiora transeundum.

c. In tertio stadio omnia frustra tentantur, nihilque medico superest, quam, quod aegroti vitam, quam longe servare quaerat; doloresque eius vehementissimos diminuat.

Si dolores adhuc sunt vehementes, hocce semper symptoma valet praesentis inflammationis; applicentur ergo hirudines quaedam, fiant narcoticae inunctiones; interne detur infusum belladonnae cum liquore kali subcarbonici. Vomitus tollitur per belladonnam, aquam laurocerasi, aci-

dum borussicum; et si omnia ad tollendum vomitum frustra sint impensa, ipsum distribui debet opium, quamquam alvus hoc remedio retardatur; prae aliis omnibus autem tutissime vomitus tollitur per adductam iam supra diaetam. Si febris nunc praesens hectica putridum accipit characterem, si aphthae in oris cavo exoriuntur, dentur gargarismata ex decocto herbae salviae cum borace, acido muriatico oxygenato, melle rosarum; aut borax cum melle rosarum in linctus forma. Alimentatio, restauratio virium aegroti, nunc medici primaria sit intentio; diaeta iam supra dicta ad hanc explendam intentionem maxime est idonea. Si autem omnia evomuntur, per anum fieri debet aegroti nutritio; quae fit, per clysmata nutrientia e iusculis carneis, amylaceis cum vitello ovorum, vino; balnea et nunc dentur nutrientia, roborantia, e iusculis carneis addito vino. Omnia autem hic semper incassum, medicoque esse potest illud Ovidii salatium:

Non est in medico, semper relevetur ut aeger;
Interdum docta plus valet arte malum.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Ioannes, Wilhelmus, Adolphus Schupmann natus sum Geseckae, Guestphaliae oppido anno millesimo octingentesimo primo, patre Iosepho Schupmann, matre Anna Maria e stirpe Iüttenmeyeriana. Primam iuventutem meam in domo paterna peregi, tam adultior factus, scholaque hoc in oppido absoluta iuferiore, edoctus litteris iis, quibus iuventus institui solet, lingua latina, gallica, inque arte delineandi ab Auxentio Lahme, viro admodum docto, digno, venerandoque. Anno autem millesimo octingentesimo decimo quinto, Rietbergam me contuli, ibique ditectore sub gymnasiali, patruo meo amantissimo Crescente Schupmann in classibus versatus sum humanioribus; gymnasialique cursu rite absoluto, Logicam, Physicam, Methaphysicam docuit me patruus ille meus, admodum colendus. Anno millesimo octin-

gentesimo decimo nono Arnsbergam petii Guestphalorum, ut Geometria et Arithmetica, tam theoretica quam practica erudier; scholamque hoc in oppido geometricam per duos frequentavi hiemes directore clar. Emmerich. Dein ad studia altiora medica et chirurgica, mihi semper periucunda, anno millesimo octingentesimo vicesimo primo Monasterium me contuli, hicque per annum commoratus, scholam frequentavi iam conditam chirurgicam. Interfui praelectionibus clar. Wutzer directoris huius scholae, de Physiologia et Anatomia generali et speciali; Osteologiam, Syndesmologiamque audivi apud prosectorem clar. Zumbrink; viri clar. Bodde interfui praelectionibus de re chemica et medica; praelectionibusque physicis clar. Roling. Anno dein proximo millesimo octingentesimo vicesimo secundo auctumnali tempore almam petii, celeberrimamqne Iulianam Virceburgensem, receptusque die septimo Novembris, a Rectore magnifico Andrea Metz in numerum civium academicorum, medicas et chirurgicas frequentavi lectiones. In primis hic veneror cel. Ignatium Doellinger, qui me instituit Anatomia speciali, generali, et comparativa, Zoologia et Physiologia; prosector clar. Hesselbach me cadaveribus instruxit rite dissecandis; nec minus me docuit Neurologiam, Angiologiamque. Cel. Lucae Schoenlein, ad mortem usque venerandi, praelectionibus interfui pathologicis; nec non de Tharapia generali et speciali, deqne curandis morbis syphiliticis; interfui etiam scholis, quas ille habuit, clinicis, in nosocomio cel. Iuliano per annum unum. Clar. Caietanus Textor chirurgiam mihi tradidit; frequentavique praelectiones eius de Akiurgia, de fasciis et vincturis, de Ophthalmologia;

nec minus interfui per annum clinicis eius scholis in in eodem nosocomio. Artem abstetriciam me docuit clar. D'Outerpont; medicinam forensem clar. Thomas Ruland; in Semiologia et Pathologia generali clar. Friedreich; in re medica clar. Hergenroether; in Anatomia pathologica clar. Iaeger; in Ophthalmalogia clar. Wilhelm, in Batanice clar. Heller; in re chemica clar. Pickel, in histologia demum clar. Heussinger praeceptores secutus sum. Quinque semestribus in hac universitate celeberrima peractis anno millesimo octingentesimo vicesimo quinto almam celeberrimamque tempore vernali petii universitatem Berolinensem; hicque civium academicorum numero Rectore magnifico Rudolphi die decimo tertio Maii adscriptus, frequentavi lectiones akiurgicas clinicasque cel. Rust in nosocomio charitatis.

Tentamine nunc et examine rigoroso peracto, spero fore ut, summi mihi caucedantur in Medicina et Chirurgia honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Febris non est morbus, sed tantum morbi symptoma.

II.

Hydrocele tutissime excisione curatur.

III.

Arsenicum oxydatum album minime in febribus intermittentibus curandis est reiiciendum.